

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1748)
Heft: 10

Artikel: Samuelis Battierii, [...], praelectio de requisitis professoris linguae Graecae, &c. habita pro professione Graeca
Autor: Battier, Samuel
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394626>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 13.12.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

SAMUELIS BATTIERII,

Phil. & Med. Doct. Ling. Gr. in Acad. Bas. Prof. P.

S. R. J. Acad. N. Cur. Coll.

dicti Erotiani,

PRÆLECTIO

de Requisitis Professoris Linguæ Græcæ, &c.

habita pro Professione Græca

D. 16. Decembr. 1695.

PLurimi, qui verum & præcipuum Græcæ
Literaturæ usum ignorant, falso sunt per-
suasi, satis esse ad id, ut quis Græcam Lin-
guam publice profiteri possit, modo Novum Te-
stamentum, aut alium forte facili stylo perscriptum
Auctorem intelligere atque interpretari norit, &
quidem ne hoc forte absque lexici usu; ubi qui-
dem talis sedulam operam adhibet, ne Discipuli
sui, si forte quos nanciscatur, maiorem in Græ-
cis scientiam acquirant, quam vero ipse habeat:
magnum profecto impedimentum ad progressus
in quavis disciplina faciendos. Longe plura certe
& maiora requiruntur ad id, ut quis tale quid pro-
fiteri præsumat. Primum & generalissimum Re-
quisitum illius, qui Græcam Linguam proficetur,
est, ut Auctores Græcos quosvis cum intelligere
ipsemet, tum aliis interpretari possit. Ex quo
statim sequitur, ipsummet Versiones Græcorum
Auctorum iam extantes, ubi deficiunt, supplere
debere; Norunt quippe Eruditi omnes, quam
negligentes plerique Auctores Græci in Latinum
Sermonem sint traducti: innumeris modis id osten-

dere neutiquam esset difficile : In nupero meo Specimine iam huiusce rei aliquot testimonia produxi; alia tamen quædam heic addere non erit dividia. Apud Philostratum L. I. in Vita Apoll. Tyan. c. III. p. 5. E. P. hæc leguntur : Ἀπολλωνίῳ τοίνυν πατρίς μὲν ἦν Τύανα, πόλις Ἑλλάς ἐν τῷ Καππαδοκῶν ἔθνει • πατὴρ δὲ ὁμώνυμος, γένος ἀρχαῖον καὶ τῶν οἰκιστῶν ἀνημμένον. Interpres ista sic reddit: *Apollonio itaque Patria fuit Tyana Civitas Græca in Cappadociæ finibus posita. Pater vero eodem quo & ipse nomine nuncupatus : genus antiquum sane & claris hominibus sæcundum. Pessime. γένος enim τῶν οἰκιστῶν ἀνημμένον non est claris hominibus sæcundum; οἰκιστῆς enim est urbis alicuius fundator, Coloniae deductor, ut Thucydides & alii non semel istam vocem usurpant: hinc γένος τῶν οἰκιστῶν ἀνημμένον, est genus, profapia ipsos urbis conditores attingens: & ita vult Philostratus indicare, Apollonium ex ipsorum Urbis Tyanæ Conditoribus ortum duxisse.*

Ibid. p. 6. seqq. habentur : Καὶ μεμνήσθαι χρὴ τῆ Πρωτέος μάλισα, ἐπειδὴν προῖων ὁ λόγος δεῖκνυεὶ τὸν ἄνδρα πλείω μὲν ἢ ὁ Πρωτεὺς προγνόντα, πολλῶν δὲ ἀπόρων καὶ ἀμηχάνων κρείττω γενόμενον ἐν αὐτῷ μάλισα τῷ ἀπειλήσθαι. Interpres: *Verum Protei tunc maxime decebit meminisse, cum sermo futurus ostendet Apollonium longe plura quam Proteum prædixisse: multa quoque arcana & intellectu difficillima interpretatum in nullo unquam defecisse, vel tum maxime, cum è vivis excessit. Plane non ad mentem Auctoris: Sensus enim hic est: Apollonium se ex plurimis difficilibus & quasi inextricabilibus rebus expedivisse, etiam tum maxime, quando omnino comprehensus esse videbatur*

batur. Philostratus enim Apollonium cum Proteo comparans ipsum ei adhuc præfert, & dicit illum etiam comprehensum se extricare potuisse, secus ac Proteus, qui firmiter a Menelao apud Homerum Odyss. L. IV. compressus nullum effugium omni sua arte amplius habere poterat. Sic quippe Eidothea ibid. v. 414.

Τὸν μὲν ἐπὶν δὴ πρῶτα κατευνηθέντα ἴδωθε,
 Καὶ τό τ' ἔπειτ' ὑμῖν μελέτω κάρτος τε βίη τε,
 Αὐθι δ' ἔχειν μεμαῶτα καὶ ἐσσύμενόν περ ἀλύξαι
 Πάντα δὲ γινόμενος πειρήσεται ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
 Ἐρπετὰ γίνονται καὶ ὕδωρ καὶ θεσπιδαιὲς πῦρ.
 Ὑμεῖς δ' ἀξεμφέως ἐχέμεν μάλλον δὲ πιέζειν.

Philostratus c. V. p. 8. hæc poëta habet: Ἐνταῦθα
 ξυμφιλοσόφην μὲν αὐτῷ Πλατωνεῖοί τε καὶ Χρυσίππειοι
 καὶ οἱ ἀπὸ τῆ περιπάτου· διήκουσέ δὲ καὶ τῶν Ἐπικουρε
 λόγων· εὐδὲ γὰρ τέτυκ ἀπεσπέδαζε· τὰς δὲ τε Πυθα-
 γορείους ἀρρήτω τινὶ φιλοσοφία ξυνέλαβε. Interpres:
*Hic diversarum opinionum Philosophos cognovit: Nam
 & Platonicos & Chrysippeos & Peripateticos audivit:
 quædam etiam Epicuri dicta, quæ non spernebat, vo-
 luit audire: verum Pythagoricæ philosophiæ percipiendæ
 non magna ei dabatur facultas. Male: sensus enim
 est: Epicureorum etiam philosophiam aliquantum tantum
 audivit, non enim data opera ei incubuit: at ad Pytha-
 gorica dogmata ineffabili quodam studio & ardore fere-
 batur, illaque assecutus est. Quam interpretationem
 egregie confirmant ea quæ sequuntur, in quibus
 Philostratus nos docet, Apollonium quamvis ha-
 buerit in Pythagoricis Præceptorem non secundum
 Philosophiam, quam docebat, mores & vitam
 instituentem, (γασρός τε γὰρ ἥπτων ἦν καὶ ἀφροδι-
 σίων)*

σίων) idem fecisse, quod aquilarum pulli, qui dum teneras adhuc pennas habeant, & a parentibus volatus edoceantur, non longe ab ipsis discedant, at robustiores facti ipsos etiam parentes supervolant, quando gulosos eos sentiant, & nidoris gratia terram volando radentes. Οὕτω καὶ Ἀπολλώνιος προσεῖχε τῷ Ἐυξένῳ πᾶσι ἔτι - - προελθὼν δὲ εἰς ἔτος ἕκτον καὶ δέκατον, ὤρμησεν ἐπὶ τὸν τῆς Πυθαγόρου βίον, πλερωθεὶς ἐπ' αὐτὸν ὑπὸ τινος κρείττονος. Ita Apollonius, quamvis dum puer erat, præceptor obtemperabat, cum ad sextum decimum ætatis annum pervenit, totus ferebatur ad Pythagoræ vivendi normam, adactus & impulsus ad eam a superiori & fortiori quadam causa.

Ast forte levia ista, nec si male intelligantur, admodum periculosa videntur: Producam itaque alia, & quidem ex Historia & Chronologia, quæ merito anima Historiæ vocanda, sine qua Historia non spirat: quanti certe errores ex ignorantia Linguae Græcæ semper commissi fuerint in Epochis constituendis, quod tamen omnino necessarium est in Historiæ priscae constitutione, & profanæ cum sacra coniunctione, notum passim est. Ex omnibus Chronologicis scriptis antiquissimum & præcipuum nobis restat Eusebii Pamphili illud plurimis tamen locis mutilum: Hoc opus S. Hieronymus in Latium transtulit: ipsum vero in multis imo innumeris hallucinatum esse Docti iam diu observarunt; Pauca quædam παραδείγματος χάριν solum adiciam: Ex παρα Διός, quod coniunctum legerit, novum auctorem creavit Παράδιον, qui de Minoë scripserit. Ἀποδοσµὸν putavit esse nomen Urbis Judaicæ, non μέ-

gos Populi Judaici. Ἑλένη γνώμη, vertit, *Helenò subsidium ferente: nihil minus: imò Heleni impulsu, ex sententia Heleni.* Συγκλήτης Βαλῆς, *consilio Senatus*, atqui σύγκλητος βαλὴ nihil aliud est quam Senatus ipse: Ποικιλότεχνος est *versutus*, Hieronymo *homo artis plumariæ*: Unde adversus historiam Macedonius ex arte plumaria ad ecclesiasticum munus provectus. Ἐυαγόρας Βασιλεὺς Κύπρου ἐξέστη, id erat, *Euagoras Rex ex Cypro excessit*: Hieronymo vero: *Euagoras Rex Cypri in furorem versus est.* Περὶ τῆ πρώτης λεγομένης Φορωνέος, *de Phoroneo, qui primus hoc nomine appellatus*: quasi intelligendum sit, quum multi Phoronei fuerint, hunc primum hoc nomine nuncupatum fuisse: Atqui Mythologis Phoroneus est primus hominum, non primus Phoroneorum. Quod autem Ἡρακλειδῶν κάθοδον, *Heraclidarum descensum*, non autem *Heraclidarum reditum* toties totiesque vertit, cognitionem historiae obruit, quæ Heraclidas Peloponneso vi deiectos, armorum virtute reditum eo sibi peperisse docet. Πολέμαρχον reddit *hominem fortem*, quum sit nomen Magistratus Athenis, qui Thebis Βοιωτάρχης dicebatur: is belli tempore exercitui cum imperio præerat. Ὀστρακισμὸν putavit esse nescio quod pænæ genus ignominiosum, quod testularum suffragiis irrogaretur: Atqui ostracismo pellebantur sine ulla ignominia aut nota, tantum minuendæ nimix potentiæ aut gratiæ popularis. Sufficiant hæc ex Eusebii versione adducta, transeam ad alia.

Apud Æschylum in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, v. 828. Τάφων πατρῶων λαχαί, Interpres male vertit: *Sor-tes sepulchrorum paternorum*, quasi λαχαί esset a λαγ-

χάνω *fortior*: Scholiastes explicat: λαχαί, σκαφαί,
unde est λαχαίνω, *fodio*: sic apud Moschum φυτὸν
ἀμφελάχαιεν.

Apud eundem Æschylum in Agamemn. v. 47.

Μέγαν ἐκ θυμῷ κλάζοντες ἄρη.
Τρόπον αἰγυπιάων, οἳ τ' ἐκπατίοις,
Ἄλγεσι παίδων, ὑπατοὶ λεχέων σροφοδιῆνται
Πτερύγων ἔρετμοῖσιν ἔρεσσόμενοι δεμνιοτῆρη
Πόνον ὄρταλίχων ὀλέσαντες.

Interpres: *Magnum ex animo clamantes Martem, more vulturum, qui magnis doloribus pedum, alti ex le-
ditis circum vertuntur alarum remis remigantes. Tur-
pissime hic pro παίδων, ποδῶν legit, & explicat,
doloribus pedum, cum debeat esse doloribus pro-
pter pullos amissos.*

Verum prolixo nimis hic sumus: Festinandum
ad secundum, quod sequitur ex eo, quod quis
intelligat Græcos Scriptores, istud est, ut is, qui
Græcam Linguam proficitur, Græcum textum
ipsum, ubi corruptus est, emendare sciat: Quan-
do nimirum quis Græce novit, corruptiones, si
quæ adsunt, statim deteguntur, & tum detectio
vitii magnum ad sanitatem momentum affert, cum
levi adhibita attentione medela ipsa plerumque
sponte sese offerat, nisi omnino morbus sit de-
speratus, & prorsus ἀνίατος, quod sæpe contin-
git. Ubi quidem statim magnus sese exercendi
campus aperitur: Pauci quippe Auctores exstant,
qui omnino sani & incolumes sint: Ex iis certe
omnibus, quos paulo accuratius perlegi, vix
unum

unum aut alterum reperi, qui non hinc inde aliqua medicina egere mihi visus sit: Præter exempla nuper allata unum aut alterum insuper adducam: Apud Aeschylum in ἐπτά ἐπὶ Θ. v. 531. vulgo legitur:

- - λέγει δὲ τῷτ' ἔπος διὰ σόμα
 Ἡ τοῖον ἔργον, καὶ θεοῖσι προσφιλές.
 Καλόν τ' ἀκῆσαι, καὶ λέγειν μεθύσεσσι.
 Πόλιν πατρῶαν, καὶ θεοὺς ἐγγενεῖς
 Πορθεῖν - - - -

Interpres: Certe tale opus & Diis gratum, pulchrum auditu, & dictu posteris, Urbem paternam, Deosque penates diripere. Mendum esse hic omnino existimo, & pro ἡ τοῖον ἔργον scribendum esse ἡ θεῖον ἔργον, nullus dubito: & tum sensus erit: Certe divinum & Diis gratum opus &c.

Apud Diog. Laert. L. VIII. in Vita Pythagor. p. 216. hæc leguntur: τὴν μέθην ἐν ἀνθει νοὸς βλάβην καλεῖ. Aldobrand. vertit: *Ebrietatem in mentis flore detrimentum appellat.* Stephani Editio habet ἐν ἀνθ' ἐνὸς βλάβην. Is. Casaubonus hanc lectionem etiam probavit, ut testatur M. Casaubonus, & vertit, *uno verbo*, quasi esset ὡς ἐν ἀνθ' ἐνὸς εἰπεῖν, quæ formula loquendi apud Eustathium exstat H. α. Ed. Basil. p. 99. Εἰσὶ δ' ἐλοχύται, ὡς μὲν ἐν ἀνθ' ἐνὸς εἰπεῖν, τὰ προθύματα. Verum quamvis ex hac interpretatione sensum aliquem constare verbis his non possit negari, nihil tamen omnino in hoc sensu notabile, quod inter dicta Pythagoræ, aut cuiusquam celebrioris Philosophi referri meruerit: Non sententiæ pondus, non allusionis

gratiam ullam, pariter assensuros plerosque persuasum habeo. Menagius existimat legendum: Ἐν ἀνθ' ἐνὸς νοὸς βλάβην καλεῖ. i. e. *Et ebrietatem, & mentis detrimentum pro uno eodemque usurpat: Aut potius: τὴν μέθην εἰώθει νοὸς βλάβην καλεῖν. Ebrietatem solitus erat mentis detrimentum appellare.* M. Casaubonus legendum vult novo vocabulo ἐναντίνοον βλάβην, ut sensus esset: *Ebrietatem tale damnum esse, quod ad mentis perniciem proprie pertineret.* Ego missis omnibus istis legendum esse existimo εὐαλθῆ νοὸς βλάβην, ut sensus sit: *Ebrietatem esse mentis detrimentum facile sanabile.* Νοὸς βλάβη certe nil aliud est quam mentis perturbatio, perversus mentis status: Iam hic status mentis, mentis perversitas, facile corrigibilis non est: Ad distinctionem itaque huius communis perversitatis mentis, vocat Pythagoras ebrietatem εὐαλθῆ νοὸς βλάβην, perversitatem mentis, quæ solum ab illa communi differat, quod facile sit sanabilis: Et proin ebrius Pythagoræ est idem plane cum mente capto, nisi quod ebrius facile possit restitui, nimirum crapulam edormiendo.

Apud Eusebium Χρονικῶν λόγῳ πρώτῳ, p. 8. Alexandri Polyhistoris ἐκ τῆς δευτέρας τῶν Βηρωσσῶν Χαλδαϊκῶν, sequentia habentur de Sisuthro, qui Noë erat: Τὸν Εἰσθηρον ἰδόντα προσοκείλαν τὸ πλοῖον ὄρει τινὶ ἐκοῖναι μετὰ τῆς γυναικὸς καὶ τῆς θυγατρὸς καὶ τῆ κυβερνήτου προσκινήσοντα τὴν γῆν, καὶ βωμὸν ἰδρυσάμενον καὶ θυσιάσαντα τοῖς Θεοῖς γενέσθαι μετὰ τῶν ἐκβάντων τοῦ πλοίου ἀφανῆ. τοὺς δὲ ὑπομείναντας ἐν τῷ πλοίῳ, μὴ εἰσπορευομένων τῶν περὶ τὸν Εἰσθηρον, αὐτὸν μὲν αὐτοῖς ἐκέτι ὀφθῆναι, φωνὴν δὲ ἐκ τῆ ἀέρος γενέσθαι, κελεύουσάν, ὡς θεὸν αὐτὰς εἶναι θεοσεβίῃς

σεβείς , καὶ παρ' αὐτὸν διὰ τὴν εὐσέβειαν πορεύεσθαι
 μετὰ τῶν Θεῶν οἰκήσοντας. Hæc corrupta esse om-
 nino existimo , nec absque medicina adhibita sen-
 sum laudabilem admittere ullatenus possunt : Post
 verba itaque τὰς δὲ ὑπομείναντας ἐν τῷ πλοίῳ μὴ
 εἰσπορευομένων τῶν περὶ τὸν Εἰσαθρον , tale quid infe-
 rendum est : εἰς ζήτησιν αὐτῶν ἐκβῆναι , ζητησάντων
 δὲ αὐτῶν , & dein subiunge , αὐτὸν μὲν αὐτοῖς οὐκέ-
 τι ὀφθῆναι : & ultima verba καὶ παρ' αὐτὸν διὰ τὴν
 εὐσέβειαν &c , ita corrigenda : καὶ γὰρ αὐτὸν διὰ τὴν
 εὐσέβειαν πορεύεσθαι μετὰ τῶν Θεῶν οἰκήσαντα. Et
 sensus horum tum erit : *Sisuthrum egressum ex navi
 cum uxore , filia & gubernatore , ut terram adoraret ,
 cum aram extruxisset , & Diis sacrificasset , cum illis ,
 qui cum ipso e navi egressi essent , disparuisse : Eos au-
 tem , qui in navi permansissent , cum illi qui egressi
 erant non reverterentur , ut illos quærerent exiisse : Quæ-
 rentibus autem illis Sisuthrum quidem non amplius visum
 esse , sed vocem ex aëre auditam , quæ iussisset ipsos esse
 pios , nam & ipsum propter pietatem iam abire , ut cum
 Diis habitet.*

Tertium , quod a cognitione Græcæ Linguæ
 fluit , & requiritur ab eo , qui illam profitetur ,
 est , ut possit Manuscripta Græca ex Bibliothecis
 eruere , iam edita cum impressis conferre , & sic
 ea corrigere , & emendare : Non edita vero in
 lucem protrahere , & versione Latina illustrare.
 Plurima certe hinc inde in Bibliothecis egregia ad-
 huc latent , quæ lucem publicam nondum vide-
 runt : Sic etiam in Bibliotheca Cæsarea Vindobo-
 nensi , ut ex Dan. de Nessel Breviario & supple-
 mento Commentarior. Lambecianor. Vindobo-
 næ & Noriberg. A. 1690. in fol. excuso , referunt

Collectores Actor. Lipsiens. in Ann. 1692. inter DCXXI. Manuscripta Volumina Græca multi præstantissimi Auctores inediti continentur: Videas heic præter varios Aeschyli, Aristophanis, Euripidis, Hesiodi, Homeri, Oppiani, Pindari, Sophoclis Scholiastas veteres, Jo. Zonaræ Lexicon, Arsenii Lexicon, Eudemi Lexicon. Libanii Sophistæ Epistolas CCXXCIIX. nondum typis excusas: Eiusdem Orationes XLIII. maximam partem ἀνεκδότους. Inter Historicos notatu digni sunt Dionysii Periegetæ Paraphrases; Michael Choniatæ historicus Byzantinus: Jo. Scylitzes Curopalates, qui nondum Græce integer editus est: & alii: Nec silentio prætermittendum, contineri heic ex Polybii Megalopolitani Historici longe nobilissimi libris historiarum deperditis excerpta Constantini Imp. Porphyrogennetæ a Lib. VII. usque ad Librum XIX. cum in hæctenus impressis Editionibus Is. Casauboni & Jac. Gronovii desint, adeoque in nova Editione succenturianda, excerpta libror. XVIII. & XIX. quibus etiam annectitur excerptum περὶ Μιθίας. Sic etiam in nostra Bibliotheca Academica inter egregia MSS. Græca non pauca continentur hæctenus ἀνεκδοτα. Sic in volumine veterum Tacticorum, Athenæi, Apollodori, Jul. Africani & aliorum, (quos, cum ego, ut illos vulgarem, iam manus adiecissem, ante triennium Operæ Parisienses maximam partem in lucem primum produxerunt,) alii non editi continentur, quos si otium aliquando maius dabitur Latio donatos emittam, ex his est Anonymi liber, cui titulus: Παρεμβολαὶ ἐκ τῶν στρατηγικῶν παρατάξεων, περὶ τῆς ὁποῖον εἶναι δεῖ τὸν στρατηγόν, in quo certe multa egregia veterum belli Ducum facinora
pro-

proferuntur, & ex quibus antiqua historia, & imprimis Polyæni Στρατηγημάτων libri non parum illustrari possunt, ut suo tempore ostendam. Item Nicephori Imperatoris Constantinopol. liber περί Παραδρομῆς, cuius & a Gesnero mentio fit in eiusdem Bibliothecæ epitome per Jos. Simlerum; Liber autem hisce incipit: Τὴν τῆς παραδρομῆς μέθοδον παραδέναι βεβλόμενοι, εἴτε κατὰ τὸ παρὸν μὴ χρείωδης ἐστὶν εἰς τὰ τῆς ἑω μέρη, ἄτε Χριστῷ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἡμῶν τὸ πολὺ τῆς καθ' ἡμῶν δυνάμεως καὶ ἰσχύος τῶν τῷ Ἰσμαὴλ ἐγγόνων ἀμβλύσαντος. i. e. *Methodum expeditionis bellicæ conscribere volentes, quamvis in præsentia rerum non sit necessaria versus Orientales partes, cum Christus verus Deus noster maximam partem virium & potentiae Ismaëlis posterorum, seu Saracenorum, confregerit.* In hoc profecto libro multa, quæ Historiam Byzantinam, & statum Imperii Orientalis illius temporis non parum illustrant, reperiuntur.

Verum tempus iam tandem est, ut ostendam, in quemnam ergo tantum usum Græca Literatura adeo necessaria sit: Illum certe maximum & præcipuum consistere in Antiquitatum cognitione vix quenquam esse, qui in dubium vocare audeat, existimo: Maximam enim partem eorum quæ ad Archaeologiam pertinent, ex Græcis monumentis haurire nobis necesse est: Hinc discimus Populorum migrationes, Coloniarum diductiones, Antiquorum Sacra, ritus, mores, politiam, Idololatriæ progressum, & alia plura, quorum certe cognitio quantum veritatem Historiæ Sacræ, quamvis quidem per se satis claram, illustret, & confirmet, multi alii iam satis docuerunt: Ut de aliis utilitatibus iam nil dicam: In specie solum παρα-
δείγμα

δείγματος χάριν quædam producam , quæ Antiquitates Græcas circa Dei cultum & Sacra spectant. Ante omnia Græcis curæ cordique erat veneratio Dei : & sine intermissione quidem Deo Sacra facienda esse putabant : Hesiodus Ἔργων καὶ ἡμερῶν. v. 334.

- - Ἔρδειν ἱερὸν ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

& v. 337.

Ἦ μὲν ὅτ' εὐνάσῃ , καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ.

- - *Sacra facito immortalibus Diis :*

Et quando cubitum ieris , & quando matutinum tempus venerit.

Pariter apud mensam in conviviiis ante cibum captum orasse , cantasseque legimus. In Platonis Symposio , statim ut Socrates accubuit , convivæ libationes faciunt , & ᾄδουσι τὸν Θεὸν , hymnum Deo canunt. Sed nec rem ullam aggressi sunt , quin prius Deum invocarent. Testatur id Plato in Timæo post initium his verbis inter alia : Πάντες ὅσοι καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν , ἐπὶ πάσῃ ὀρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος , Θεὸν αἰεὶ καλοῦσιν. Omnes qui mentis quomodocumque compotes sunt , in operis cuiuslibet vel magni vel parvi principio , invocare Deum solent semper. Sic Aratus Solensis statim ab initio φαινομένων :

Ἐκ Διὸς ἀρχάμεσθα , τὸν οὐδέ ποτ' ἄνδρες ἐῷμεν
Ἄρρητον· μεσαὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί &c.

*A Iove principium , quem nunquam mittimus ipse
Infatum. plena vero Iovis omnia quidem compita*

Sic initium Idyllii sui 17. petiit Theocritus :

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα , καὶ εἰς Δία λήγετε Μοῖσαι.

A Iove principium facite , & in Iovem desinite Musa.

Cuius rei rationem habebant , quod putabant sic prospere omnia cessura. Xenophon de rationibus redituum in fine : Σὺν Θεῷ , inquit , πραττομένων εἰκὸς καὶ τὰς πράξεις προίεναι ἐπὶ τὸ λῶον καὶ ἀμεινον αἰεὶ τῇ πόλει : *Quæ Res Numine propitio suscipiuntur , eas semper Reipublicæ melius feliciusque cessuras consentaneum est.* Ad hæc res quoque præclare gestas Deo acceptas referebant ; Cujus inter alia exemplum habemus apud Plutarchum in libro de sui laude , ubi dicit ; Διὸ καλῶς μὲν ὁ Ἀχιλλεύς . ἐπειδὴ τὸν ἄνδρα Θεοὶ δαμάσασθαι ἔδωκαν . καλῶς δὲ Τιμολέων , ἐν Συρακούσαις αὐτοματίας βωμὸν ἰδρυσάμενος ἐπὶ ταῖς πράξεσι , καὶ τὴν ὁμίαν ἀγαθῷ δαίμονι καθιερώσας . &c. *Itaque præclare Achilles . Hunc postquam superi nobis superare dederunt . Præclare etiam Timoleo , qui Syracusis sanum fortuitorum casuum ob res a se gestas posuit , domumque suam bono Genio consecravit .* Nec obiter , sed cum animi intentione , totis viribus & defæcato corde Deo cultum præstare satagebant ; Καθδύναμιν ἀγνῶς καὶ καθαρῶς Deo Sacra fieri vult Hesiodus Lib. 2. Oper. & Dier. v. 334. In ipso adorationis ritu manum ori admovebant , dexteramque ad osculum referebant ; Id quod testatur Lucianus libro π. Φυσιῶν : Ὁ δὲ , αἶτ , πένης ἰλάσατο τὸν Θεὸν , φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξιάν . *Paupe vero placavit Deum , osculatus solummodo dexteram suam.* Atque hinc quidem Eustathius in 5. Odyss. προσκυνεῖν dictum putat παρὰ τὸ κύειν , ὃ εἰς φιλεῖν . h. e. ab *osculari* . Orabant item manibus in cœlum expansis , annotante Luciano in Philopatrīde , Ἡμεῖς δὲ , αἶτ , τὸν ἐν Ἀθήναις ἀγνώστον εἰφευρόντες , καὶ προσ-

προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τού-
τω εὐχαριστήσαμεν. *Nos ignotum Athenis Deum con-*
secuti & venerati, manus in caelum extendentes, eidem
gratias egimus. Priamus Il. ω. dicit v. 301.

Ἐσθλὸν γὰρ Διὶ χεῖρας ἀναχέμεν, αἰὶκ' ἐλεήσει.
Bonum enim Iovi manus elevare, si forte miserebitur.

Et mox de eodem dicitur v. 306.

Ἐυχεται ἔπειτα εἰς μέσῳ ἔρκει
Ἐοῦρανὸν εἰσανιδῶν, καὶ Φωνήσας ἔπος ἠυδα.

*Precatus est postea stans in medio atrio
Caelum inspicieus & vociferans verbum locutus est.*

Lacedæmonii omnes Deos suos colebant armatos.
Auctor nimirum est Plutarchus Institutis Laconicis,
quod non solum Venus, sed omnes alii Dii, tam
mares quam fœminæ, Spartæ fuerint hastatæ, tan-
quam omnibus virtutem bellicam habentibus. Ipsæ
precandi formulæ in genere sic erant conceptæ,
ut fervarent, ut faverent, ut ferrent opem Dii.
Cujusmodi formula elici potest ex illis Hesiodi
Lib. I. ἔργων καὶ ἡμερῶν v. 338. quibus ait sacra fe-
ceris Diis

Ὡς κέ τοι ἴλασον καρδίην καὶ θυμὸν ἔχωσιν
Ὅφρ' ἄλλων ὠνῆ κληῖρον, μὴ τὸν τεὸν ἄλλος.

*Ut benevolum erga te cor atque animum habeant.
Et aliorum emas sortem, non tuam alius.*

Lacedæmonii peculiari usi sunt vovendi ac pre-
candi formula, qua orabant Deos suos, ut pul-
chra, h. e. honesta cum bonis sibi tribuerent: *Eam*
Ευ.

Ἐυφημίαν vocabant, quasi recte & Deo gratis ver-
bis conceptam, prout testatur Plato in Alcibiade
2. qui Dialogus est de Voto, paulo post initium:
Dicit Lacedæmonios in pugna adversus Athenien-
ses semper prævaluisse, felicioresque extitisse, pro-
pterea quod Deo placuisset eorum Ἐυφημία præ-
cultu Atheniensium. Plutarchus in Institutis La-
conicis fere sub medium f. 238. scribit eos addi-
disse voto & precibus suis, ut possent ferre iniu-
rias; Ταῖς ἑυχαῖς προσιδέασι τὸ ἀδικεῖσθαι δύνασθαι:
Votis hoc annectebant, posse ferre iniurias. Quod si
paulo penitius consideremus cultum divinum Græ-
corum, tribus eum potissimum modis peractum
reperiemus. Nam & sacrificabant, & libabant,
& suffitum faciebant; Quod significavit Hesiodus
hoc suo præcepto, quod habetur Libr. I. Operum
& Dier. versib. 334. & seqq.

Καὶ δύναιμι δ' ἔρδειν ἱερ' ἀθανάτοισι Θεοῖσιν
Ἄγνων καὶ καθαρῶς, ἐπὶ δ' ἀγλαὰ μηρία καίειν.
Ἄλλοτε δὲ σπονδῆσι Δύεσσι τε ἰλάσκεσθαι.

*Pro virili autem sacra facito immortalibus Diis
Caste & pure, splendidaque femora adurito.
Interdum certe libaminibus atque hostiis placa.*

Certum interim est, antiquissimis temporibus etiam
Athenienses Deos veneratos fuisse frugibus solis,
non item victimis animalium. Sic enim habet an-
tiquissimum institutum Triptolemi, qui posuerat
hanc legem: Θεὸς καρποῖς ἀγάλλειν. *Venerandos
esse frugibus Deos: Vide Sam. Petitum in Legibus Atti-
cis. Pariter legimus apud Isocratem in Oratione
Areopagitica, quod veteres illi Athenienses maioris
æstimarint frugum quam victimarum oblationem:*

'Ουκ, ait ille, ἐν ταῖς πολυτελείαις ἐνόμιζον εἶναι τὴν
 εὐσέβειαν: *Non putabant in hostiarum multitudine con-*
sistere pietatem. Cæterum omnes cultus divini par-
 tes ita erant peragendaæ, ne excederetur faculta-
 tum modulus, nec negligerentur ritus patrii. Sic
 enim Draco antiquissimus Atheniensium Legislator
 lege caverat, quam laudat Porphyrius Lib. de Ab-
 stinentia 4: Ἐπὶ καὶ, inquit, Δράκοντος νόμος μνη-
 μονεύεται τοιῶτος. Θεσμος αἰώνιος τοῖς Ἀττίδα νεμο-
 μένοις κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον, Θεὸς τιμᾶν καὶ
 ἥρωας ἐγχωρεῖς ἐν κοινῷ ἐμποινίμοις νόμοις πατρίοις.
 ἰδίᾳ κατὰ δύναμιν, σὺν εὐφημίᾳ καὶ ἀπαρχαῖς καρπῶν
 πελάνεος ἐπιτεῖς. *Et Draconis quidem Lex talis me-*
moratur: Lex est antiquissima, æternæque auctoritatis
in Attica, venerandos esse Deos, atque Heroas patrias
& indigenas publice secundum patrias sanctiones; priva-
tim vero bonis verbis, frugumque primitiis libis annuis
pro facultatum modulo. Locus in quo sacrificia per-
 agebantur, proprius quidem erat Ara, Græcis Βω-
 μὸς dicta ἀπὸ τῆ βῶ, βαίνω: Locus autem com-
 munis, in quo sacrificabatur, erat Templum,
 Græcis ἱερόν & Ναός. Varinus in Lexico voce Βω-
 μὸς, Ναός καὶ ἱερόν πᾶν τὸ οἰκοδόμημα, ὑφ' ἧ περιέ-
 χεται ὁ βωμὸς: Erant autem apud Græcos varia
 templa eaque magnifica: & inprimis quidem Ephesi
 illud Dianæ, quod omnia hominum opera magni-
 tudine superasse dicitur Pausaniæ in Messeniâcis.
 Tanta autem erat reverentia templorum atque ara-
 rum, ut ea non omnibus adire liceret: Arceban-
 tur hinc Βέβηλοι, i. e. Profani. Profani autem qui
 fuerint docet Suidas in Lexico voce βέβηλος, nem-
 pe dicit: Βέβηλος ἀνὴρ ὁ ἀμύητος καὶ μιαρὸς. Ita Or-
 pheus plane fores profanis occludi iubebat his
 verbis:

Ἐθέγγζομαι οἷς θέμισ ἐστὶ, θύρας δ' ἐπίθεθε βεβήλους
Πᾶσιν ὁμῶς. - - - -

Sic Callimachus etiam in Hymno Apollinis ἐκάς;
inquit, ἐκάς ὅστις ἀλιπρός. Et Virgil. VI. Æneid.
v. 258.

- - Procul ò, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.

Inter βεβήλους autem h. e. profanos, primo erant illi, qui scelus aliquod notorium commisissent, utpote furtum, adulterium, cædem. Deinde arcebantur a sacris ac proinde a templis & aris spurii, seu ex illegitimo matrimonio nati; De quibus hæc lex apud Isæum extat: Μηδὲ νόθῳ μηδὲ νόθῃ ἀρχισείαν εἶναι μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων ἀπ' Ἐυκλείδῃς ἀρχοντος: Neque notho neque spurii liceat appropinquare vel sacris, vel sanctis locis, hinc inde ab Euclide Archonte. Denique & illi arcebantur a Sacris & templorum aditu, qui non essent loti manibus; unde Hector apud Homer. Lib. VI. Iliad.

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἄζομαι· ἐδὲ πη ἐστὶ κελαϊνεφεί Κρονίωνι
Ἄιματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάαδαι.

Non decet illotis manibus libare superno
Vina Jovi, pudor hoc prohibet fecisse, crasore
Turpatum me, & cæde virum Diis fundere vota.

D I X I.